



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Glasvensi Et Brechinensi Episcopis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

## 648 Epistolarum Innocentij III.

sub protectione sedis apostolice.

citur, animo nos decet libenti concedere & juxta potentium voluntatem consentaneum rationi congruum suffragium imperitari. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & monasterium ipsum sancti Cosmae, quod ad jus & proprietatem beati Petri specialiter pertinet, ad exemplar felicis memorie Celestini Papae praedecessoris nostri sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & praesentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus &c. usque illibata permaneant, in quibus haec &c. usque vocabulis Locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam sancti Viti de Vicovaro cum omnibus pertinentiis suis, sanctae Mariæ de Marcianello, sancti Petri de Ferrata, sanctæ Mariæ de Cantalupo, & sancti Felicis Ecclesias, cum omnibus pertinentiis suis, jus quod habetis in Ecclesiis sancti Salvatoris & sancti Nicolai de Cantalupo, Ecclesiam sancti Angeli de Rocca Iovere, quatuor denarios Papienses pensione ab eadem Rocca, in Vicovaro Ecclesiam sanctæ Luciae cum pertinentiis suis, Ecclesiam sancti Ianuarij de Catiniano cum pertinentiis suis, Ecclesiam sanctæ Eugeniae cum pertinentiis suis, quinque denarios Papienses quos à monasterio sancti Clementis Tiburtini percipere debetis, casalem Cerriri Plani, & casalem in Marcianello cum pertinentiis suis. Ad hæc statutinus ut idem monasterium vestrum nulli nisi Romano Pontifici sit subjectum, nec ab eo quicquam ab alio aliquo Clerico seu laico exigatur, excepto uno prandio quod Tiburtino Episcopo cum septem tantum personis semel in anno, si ipsum ad monasterium vestrum forte venire contigerit, perfolvetis. Chrisma verò, oleum sanctum &c. usque quod postulatur impendat. Præterea quatuor molendina de Precis, quæ sedent in pede ripæ sanctorum Cosmae & Damiani, molendinum quod sedet sub fonte Picciaroli, sedum molendini in rivo de Runci, molendinum in eodem loco quod habetis cum Iohanne de Runci, & terram quam habetus in tenimento Sambuci, vobis nihilominus auctoritate apostolica confirmamus. Sepulturam præterea ipsius loci &c. usque nullus obsfistat. Salva tamen justitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo &c. usque usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicae auctoritate. Ad indicium autem hujus perceptæ à sede

apostolica libertatis duas libras ceræ nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvitis. Si qua igitur in futurum &c. usque districtæ subjaceat ultiō. Cunctis autem eidem loco &c. usque præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariae in Coimidia Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellerij Idibus Iunij, Indictione x v. incarnationis dominicae anno M C X I I . pontificatus vero Domini Innocentij Papæ IIII. anno decimo quinto.

*GLASGVENSI ET BRECHINENSI  
Episcopos.*

**D**ilecti filii H. Archidiaconus & Capitulum Ecclesie Dunkeldensis, & Abbas de Scona, Prior de Insula, & universus cleris Dunkeldensis diocesis suis nobis litteris intimarunt quod bone memorie R. Episcopo corundem viam universa carnis ingresso, ipsi convenientes in unum de substitutione Pontificis tractaturi, dilectum filium Iohannem Archidiaconum Laodoniae, invocata spiritus sancti gratia, in Episcopum sibi concorditer elegunt, & carissimus in Christo filius noster Willermus Scotie Rex illustris electioni eorum benignum assensum præbuit, sicut ipsius litteræ testantur. Vnde dilecti filii R. & R. nuntij eorumdem nobis humiliter supplicarunt ut cum præfata Ecclesia sedem apostolicam nullo mediante respiçiat, electionem ipsam auctoritate apostolica confirmantes, ipsum faceremus in Episcopum consecrari. Verum P. nuntius venerabilis fratris nostri Episcopi sancti Andreae in nostra præsencia constitutus postulavit instanter ut cum de consuetudine hæc tenet observata idem Episcopus, ut dicebat, Episcopos Scotiae debeat consecrare, præfatum electum consecrandum ad eum mittere dignaremur. At nuntius memorati, bona memorie Celestini Papæ ac nostrum privilegium allegantes, in quo continetur expresse quod omnes episcopatus Scotiae immediate apostolicae sedi subsunt, inter quos connumeratur & iste, afferuerunt quod præfatus Episcopus id sibi de jure non poterat vendicare. Sed & nuntius supradictus propositi quod idem Episcopus super hoc apostolicae sedi erat scripto munitus. Quia igitur idem nuntius intentionem suam fundere non potuit, & Ecclesia memorata tamdiu differre consecrationem electi sui posset esse valde damnosum, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus examinata

nata electione pariter & electo, si eam inveneritis de persona idonea canonice celebratam, ipsam sublato appellatiois obstatulo auctoritate apostolica confirmetis, & sine utriusque partis prejudicio alter vestrum, si ambo nequiveritis interesse, acerbitis sibi duobus vicinis Episcopis, ipsum in Præsulem studeat consecrare, ac juramentum fidelitatis nomine nostro recipiat ab eodem sub forma quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam. Datum Laterani Idibus Iunij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

*POPVLO MEDIO LANENSI,  
spiritum consilij sanioris.*

**M**irari cogimur & moveri quod præteriorum immemores & improvi- di futurorum, conversi estis in arcum per- versum & in reprobum sensum dati, sacra- sanctæ Romanae Ecclesiæ matris vestræ de- votionem & obedientiam subtrahendo, quæ vos multis beneficiavit honoribus & magnis beneficiis honoravit, & ei pertinaciter adhærendo qui suis benefactoribus consuevit retribuere mala pro bonis, of- fensam pro gratia, & injuriam pro hono- re, sicut ex iis quæ contra nos egisse di- noscitur potuisse perpendere manifestè. An fortè putatis quod alia vobis rettibuet quæ reddit ipse nobis? Nam si hoc fecit in viridi, quid in arido est facturus? Li- cèt autem ex iis quæ nunc agitis gratia nostra vos reddatis indignos, quia tamen mater obliisci non potest filiorum uteri sui, universitatem vestram monemus & exhortamur in Domino, per apostolica vo- bis scripta mandantes quatenus saniori uenientes consilio revertamini ad devotionem & obedientiam matris vestræ, super exce- sibus vestris, & specialiter super eo quod dilectos filios Ordinarios Mediolanensis Ecclesiæ nuper eicere præsumpsisti, Deo & nobis taliter satisfacere fatigentes ut penam vitare possitis & gratiam adipisci. Datum Laterani Idibus Iunij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

*TRECENTI EPISCOPO, ET  
Abbati Clarevallenſi, Cisterciensi ordinis  
Lingonensis dioceſis, & magistro Henrico  
Canonicō Trecenti.*

**D**e prudentia Senonensis Archiepiscopi non possumus non mirari, qui post appellationem ad nos legitimè interpoſitam, & contra nostri formam manda- ti, perversè processit in causa quam ad pe- petitionem carissimi in Christo filii nostri Phi-

*lib. 113.  
De negotio E-  
piscoporum  
Aurelianensis  
& Antidi-  
ocesis.  
Vide supra epif.  
108. 109.*

Tom. II.

lippi Francorum Regis illustris sibi duxi- mus committendam super relaxanda fen- tentia interdicti quod in terram ejus vene- rabiles fratres nostri Aurelianensis & An- tidiocensis Episcopi protulerunt, si præ- dictus Rex eis illud offerret quod esset me- ritò acceptandum, & licet ipsi jussierimus ut, si fieri posset, postposito utrinque ju- dicio ad amicabilem compositionem inten- derer, ipse tamen, turbato negotio potius quædam sedato, nec compositionem facere studuit nec judicium exercere. Vnde, nisi regiae voluimus serenitati deferre, taliter eum corripere curassemus quod ejus profectò non remansisset impunitus ex- cessus. Cum igitur quod ab eo est inordi- natè præsumptum, ipso jure sit irritum & inane, discretioni vestrae per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus ejus processum & quicquid occasione ip- sis inveniētis attentatum, sublato cuiuslibet contradictionis & appellationis obsta- culo irritum nuntietis, contradictores, si qui fuerint, vel rebellēs per censuram ec- clesiasticam appellatione postposita com- pellendo. Quod si non omnes &c. tu ea, frater Episope, cum eorum altero &c. Datum Laterani Idibus Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

*ATREBATENSI EPISCOPO.*

**D**udem dilectis filiis Majore, Iuratis, Scabinis, & universitate communiae Laudunensis conquerentibus nostro est a- postolatui referatum quod dilecti filii ele- ctus & clerici Laudunensis aliquæ viri ec- clesiastici sepe in eos & in terras ac fami- lias eorum excommunicationis & interdic- ti sententias sine causa rationabili ac juris ordine prætermisso promulgant, ipsos per hujusmodi sententias multipliciter contra iustitiam aggravantes, licet super his de quibus impetur a quoquam sine exhibere parati quod postulat ordo juris. No- lentes igitur eisdem ecclesiastica distric- tione indebet prægravari, cum ex apo- stolica servitutis officio sublevare tencamur iustè depresso, eis & aliis auctoritate apostolica curavimus districtius inhibere ne in ipsis vel eorum quilibet seu terras aut familias eorundem sine manifesta & ra- tionabili causa excommunicationis vel in- terdicti sententias promulgaret, decer- nentes hujusmodi sententias, si quæ post appellationem ad nos propter hoc legitimè interpositam fuerint promulgatae, penitus non tenere. Quia verò eisdem conqueren- tibus intelleximus quod prefati electus &

*Epif. 114.  
Ejusdem argu-  
menti cum e-  
pistola 63. li-  
bri 14.*

N N n n